





1<sup>a</sup> Bochmer - Bamberg  
1791. 1<sup>b</sup> Franke

1. Gruiken, Franzott Fridericus: Pratus omnem excludit dignissimum  
Yatton, Christian Gottlieb: Variæ juris observationes.
2. Hommelius, Christian Gottlieb: Variæ juris observationes.
3. Knebel, Ernestus Gottfridus Christianus: Politicæ juris Dic... Decan-  
nus: (ad Disputationem in ang. Rudere Augusti Herini-  
institut) Inest: De jure et iustitia civitate tractatio. F
4. Knebelius, Ernestus Gottfridus Christianus: De causis citatorius  
et iurales
5. Knebelius, Ernestus Gottfridus Christianus: De foro ejus, qui  
praedictum conductit, competente
6. Kohlschutter, Cornelius Christianus: De effecta principiis  
juris naturalis in jure civili.
7. Meinhof, Ernestus Gottlieb: Observationes quasdam juris  
Germanici et Saxonici continens. . . . defendit
8. Pauli, Martinus, Gottlob: B. d. juris... Decanus:  
sectori benevoli relatione (ad Disputationem in ang. Fran-  
zotti Fridericus Gassitius institut)
9. Stuckel, Christophorus Cornelius: Anatomus actiorum

16  
religioni non convenientes ex principio iuri  
publici universalis paucis criminitibus caerei por-  
tunt.

10. Stuebel, Christophorus Lutetius: De servitate paucandis  
agronum praeuentim desertorum culturam ubi illius  
regunda.

11. Thalitzier, Dr. August Hieronymus: De visualisio  
et statu viditatis astricto.

12. Triller, Carolus Fidearius: De paenit illuminatio  
bus ex placitis iuri naturali recte a estimando

13. Triller, Carolus Fidearius: Observatores nonnullas  
ex jure metallico deponentes . . . publico . . . causae  
submittit

14. Weberus, Michael: De iustitia Dei

15. Wurmstorffius, Gmelius: An in Saxonia successores  
fentales et iusta ritus a presentatione malitiae  
itterare possint?

16. Werdorffius, Thoreius : De Testibus ~~scis~~ novis, super  
novis etiam articulis probatoriis, les examineundis
17. Wondorffius, Gottlob : De Tabid legitimorum per  
testem principis iure in Germania.
18. Wiesandus, Georgius Stephanus : Ord-juris Decanus ;  
lectori benvale salutem (ad Reputationem in ang. Pauli  
Christiani Corbi Schulte invitat)
19. Wiesandus, Georgius Stephanus : Ord-juris Decanus.  
lectori benvale salutem (ad Reputationem in ang. Ernesti  
Gottlieb Meinhofii invitat).
20. Wiesand-Kirsch : Wilisch, Christianus Historicus : De tumultu ac ordine  
praesentim ex novissimo mandato Electoris Sachseno.
- 1792.
1. Ebel, Carolus Gallicus Ehrenfeld : Observatio juriis  
controversi.

L<sup>a</sup>-Hommel

1792.

2. Hommelius, Christanus <sup>Gottlob</sup>: De furtis agrariis comque  
paenit.


3. Klugel, Ernestus Gottfr. Christianus: Coll. juris Sac.  
Decimus: l. b. s. (ad Disputationem iuris. Gottlob  
Lebrechtii Sachii invitat) Trest: de Diffinione restione  
in furti questione

4. Klugel, Ernestus Gottfr. Christianus: Coll. juris Sac.  
Decimus: l. b. s. (ad Disputationem Petri Woldeni. Ehren  
frotri Ebeli invitat) Trest: processu iustitiae  
ex legibus Saxoniciis receptio.

5. Klugel, Ernestus Gottfr. Christianus: Coll. juris Sac.  
Decimus: l. b. s. (ad Disputationem iuris. Gottlob  
Othonis Fenzlii invitat) Myster: I. usus in Vacatio  
Sennae parte successore in immobilia et more  
relicta ex jure Flaminico

6. Kellner, Carol. Christianus: De causis contenti iuris  
jurandi.

7. Triller, Corvinus Fridericus : De paenitentiamque  
finibus ex placitis iuris naturae recte estimantibus
8. Hornstrophus, Gallus : De marito ex legibus Sacrae Scripturae,  
nrovi mortuac, si ejus cognati erint, in immobilia  
ab interato non sacerdante.
9. Wiesandus, Georgius Stephanus : Disceptationes iuris.
10. Wiesandus, Georgius Stephanus : Disceptationes iuris
11. Wiesandus, Georgius Stephanus : Disceptationes iuris.
12. Wiesandus, Georgius Stephanus : Num et quatenus  
legibus praerubricis prohibitiis renunciari possit?







DE  
P L A N T I S  
S E G E T I I N F E S T I S  
PART. II. SPECIALIS SECT. III.

Q V A M  
P R A E S I D E

D. GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO  
THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SENIORE  
PHYS. PROVINC. SOC. OEC. LIPS. SODAL.

P R O G R A D V D O C T O R I S  
DIE XVI. MENS. DECEMBRIS MDCCCLXXXI

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

CHRISTIANVS GOTTLIEB EHREGOTT BAMBERGV  
Z I Z E N S I S  
M E D I C I N A E C A N D I D A T V S.

VITEMBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

PLA  
21 T I N  
21 T I N  
PER IL SEGRETI  
G E R M A N I C O  
D G E O R G I O K A U D O P H O B O L D I M E R G  
DIE ZWEI TEILE DER GEHEIMNISSE DER  
K A O K I A N A D O C T O R A X  
DIE ZWEI TEILE DER GEHEIMNISSE DER  
H I D E C  
CHRISTIANA GOTTLIEB FRIEDRICH GERMER'S  
MEDIOLANUM CAPITULARE  
AUGUSTINUS  
TITEL DER ZWEI TEILE DER GEHEIMNISSE



### SECTIO III.

## SEMINE INFESTAE PLANTAE.

---

### §. I.

Cum non, nisi ex semine, generentur vegetabilia, immo illa, quae breuiori tempore vitae periodum absoluunt, annuamque radicem habent, hoc solummodo propagantur, daminum omnino, quod cerealibus ab admixtis plantis causatur, primario a semine deriuandum erit. Nonnullae vero plantae semine ipso potius, quam radice ac caule segeti noxam inferunt, illae scilicet, quarum semina partim et diutius integra persistunt, et copiose in agris relinquuntur, partim cum cerealibus in horrea transportantur, cum iisdem miscentur, et nunc vel frumenti pretium modo imminuant, vel ipsam eius propriam et salutarem qualitatem immutant et in deteriorem convertunt. Triplici itaque modo semina per se, sine respectu plantae, quae ex iisdem oritur, segeti esse debent infesta.

### A

### §. II.

2

§. II.

Semina, quae copiosius in agro relinquuntur, maximum certe segeti detrimentum propterea adferunt, quoniam illa ante messem maturitatem acquirunt, decidunt, et in horreum raro vel nunquam transportantur; et quia porro per plures saepe annos in terra latitant atque integra persistunt, immo denique ad vicinos agros frequenter transeunt eosdemque inficiunt et nullo fere modo destrui queunt. Suadent quidem multi semina haec, uti cum plantis in agro relicitis, vel in quieto enatis fieri solet, subarare, sive nouam illorum progerminacionem praecauere; et certe si alte satis circumfodiatur terra, labor non erit irrigatus; et si etiam quaedam tam durum habeant corticem, ut corruptioni diu resistant, longe minor tamen eorum progerminabit copia, quam si eadem in superficie terrae relicta fuissent; accedit, quod ex reiteratis fossationibus repastinationibusque terra, notante iam CICERONE de Senectute Cap. 15. multo foecundior reddatur. Verum enim vero hoc ipsum, quod ex frequenti glebarum fissione obtinetur emolumen, occasionem facile praebet, quo peregrina semina, altius iamiam defossa, denuo ad superficiem transferantur et co laetius progerminent atque increscant, et propterea subfossione et plantarum, et feminum dissuadere voluit LÜDERS in den Briefen über den Küchengarten Vol. II. p. 568.

§. III.

Plantas, quarum semina præ caeteris copiosa in area relinquuntur, sequentes recensere voluimus:

*Auena sativa*, Bartiger Windhaber; Flughaber, Wildhaber, Gauchhaber, Mäusehaber, Barthaber, Bruchhaber, Schwarzhaber, Dispenshaber, Taubhaber, Rissen, Rispen, Gorisperich, Habertwalch. Inter Hordeum et Auenam frequentissime habita-

tat,

tat, floret Iun. Iul. semina Sept. maturant. Radix annua fibro-  
sa. Culmus, quorum plures ex eadem radice prodeunt, ere-  
ctus, basi et ad genicula passim incuruatus, quatuor fere pedes  
altus, striatus, glaber. Panicula pyramidalis, ex septem, octo  
ramis composita. Spiculae triflorae, calicis glumae folliculos  
superantes, folliculi valua exterior lanceolata, apice bifida, ex-  
tus a basi usque ad medium fere pilis albis, sursum directis pi-  
losa, in dorsi circiter medio arista contorta et in medio genicu-  
lata instructa. Semen villosum er folliculo, nunc nigricante  
brunoque colore tinctis pilis villoso, arte inclusum. Totius  
plantae accuratam descriptionem et delineationem dedit Illustr.  
SCHREBERVS in der Beschreibung der Gräser p. 109 seqq.  
Tab. 15. Aliam Auenae speciem in Silesia inter frumenta ad-  
modum frequentem et panicula contracta, flosculis geminis  
apice aristatis praeditam, triuiali nomine strigosa dictam, com-  
memorauit MATTVSCHKA Fl. Sil. Vol. I. p. 70. quae vero in  
nostris agris nondum visa fuit. Auena nostra, a LINNAEO  
fatua ideo forsitan dicta, quia semen eius nullum fere saporem  
excitat, a Veteribus plerumque *sterilis* appellata fuit, uti versi-  
culi Part. I. p. 5. ex VIRGILIO adducti probant, et OVIDIUS  
quoque docet, dum scripsit Fastor. Libr. I. v. 692.

*Nec sterilis culto surgat Auena solo.*

Atque propterea hoc nomen ipsi impositum fuit, quis, no-  
tante MARTYNO in notis ad VIRGILII Georg. Libr. I. p. 43,  
Auena apud Veteres in frumenti vitio tantum fuit habita, nec  
vnquam inter segetes computata; nunc vero certo certius con-  
stat, Auenam haudquaque sterilem, sed potius maxime foecundam esse, eius namque semina, vt recte scripsit MORISO-  
NVS in Histor. Plantar. Tom. III. pag. 209: *prius quam caeterae  
Fruges matura cito decidunt et cornea materia non putrefacta anno  
vertente secundo, immo et tertio progerminant, ita ut terra ab hac pe-*



*se raro liberetur; imo in dissipata loca saepe transferuntur, leuissima  
 enim eadem sunt, atque arista et folliculorum pilis, alarum in-  
 star, instructa, a vento agitata, vndiquaque disperguntur. Et  
 molestissimum atque nocentissimum agricolis euadit hoc gra-  
 men, dum semina progerminant. Ex radice non, vt in cerea-  
 libus plerumque fieri solet, unus, sed multiplex exsurgit cul-  
 mus, qui vndiquaque se expandit, frumentorum spatia occu-  
 pat, eorum incrementum retardat, omnemque fere foecundita-  
 tem in sui nutrimentum conuertit. Tanta saepe in agris, quae  
 annuis cerealibus consiti sunt, copia excrescit, vt horum messis  
 plane deficiat, culmique inter se mixti metiri et loco foeni  
 usvpari debeat. Exstirpatione quoque huius plantae difficulta-  
 tia, immo impossibilis erit, et hinc refert Cel. GLEDITSCHIVS  
 in Marchia Brandenburgica Administratorem quendam Regium  
 propriis ex sumtibus mille Thaleros promisso illi, qui agros  
 suos ab hac planta perfecte liberaret. vid. Eius Phys. Bot. Oek.  
 Abh. Vol. III. p. 339. Licit enim agricultores aliqui varios  
 inuenient modos, quibus eandem immihuere et penitus tan-  
 dem exstirpare voluerunt, illos tamen partim nimis molestos et  
 cum magna difficultate coniunctos, partim insufficients fuisse,  
 experientia docuit. Conf. in primis SCHREBERVS, Pater, in  
 der Samml. neuer Cameralschriften Vol. I. p. 185. et Filius  
 libr. cit. p. 114 seqq. Cl. SIOESTEEN exstirpationem huius  
 plantae inter artes deperditas retulit. vid. Schwed. Acad. Ab-  
 handl. Vol. XI. p. 194. Praeterea si inter satiuam Auenam ha-  
 bitat fatua, vtraque, antequam panicula euoluatur, a se inui-  
 cem distingui vix potest, ideoque iuniores plantas eradicare  
 velle, esset inconsultum, et adultiores extrahere, prorsus inuti-  
 le, quia semina diuerso tempore matura fiunt et cito deci-  
 dunt. Cum autem nulla fere sit planta, quae non vlo modo  
 utilis esse possit, hoc sane etiam de Auenâ hac valebit. Etenim  
 et culmus foliosus, et semina gratum praebent pabulum, et de  
 priori*

priori scribit BRAVN: die Nahrung, die er zu seinem Wachsthum aus dem Acker gezogen, ersetzt er wieder durch sein schönes Stroh, und bereichert das Stoppelfeld ohne das auf solches Feld gesetzte Getraide zu verdrängen. vid. Eius Bemerk. in der Landwirthsch. pag. 1. Certe, si cum Auena sativa illius etiam semina in horreum transportarentur, compensatio quasi locum haberet, cum haec aequae lubenter ab equis deuorentur, quam illa; notandum vero simul equos, solummodo haec assumere semina, vid. Neuen Schauplatz der Natur Vol. III. p. 604. alia animalia eadem intacta relinquere legimus in Oekon. Nachrichten Vol. I. p. 427. II. 290. et VI. 69. Ex iisdem melioris notae spiritum parauit SIOESTER l. cit. Verum, et si vsu non prorsus careat planta, verissimum tamen manebit effatum VIRGILII Georg. Libr. I. Verl. 77. l. 107.

*Vrit enim Lini campum seges*

*Vrit Auena.*

Arista, singulari prorsus modo constructa, Hygrometrum naturale constituit, de quo vid. SCHREBER V lib. cit. p. 116 sq.

*Agrostis spica venti.* Große Ackerschmiele, Schmiele, Windhalm, Ackerstrasgras, Kornstrasgras, Ackerriedgras. Floret Iun. Iul. Semina Aug. Sept. matura. Radix plures emitunt culmos, duos tresue pedes altos; panicula saepe pedalis, patentissima, rami quindecim plures fasciculatum egrediuntur et versus apicem antrorsum nutant; spiculae pedicellis insistunt et facile a vento commotuentur. Radice perenni atque repente, qua cum Tritico perenni conuenit, pariter ac semine propagari, asseritur in Wittenb. Wochenbl. Vol. VIII. p. 234. et si etiam prior modus locum non habeat, cum alii radicem annuam et fibrosam esse, scribant, certe sufficerent semina, quorum saepe in uno culmo ter immo quincenta numerantur. Habitat in solo arenoso aequae ac in stercorato, agrosque frumenta-



ceos, illos praecipue, in quibus *Triticum* colitur, ita saepe obducit, ut maior huius graminis saepe copia adsit, quam frumenti. Ob pabuli utilitatem colere, suadet **KALMIVS**, Schwed. Acad. Abh. 1747. p. 660. Iunior et in arenoso solo nata planta tenerior est, et ouibus grata, ab adultioris; et paniculae in primis, esu gingiuae animalium cruentae redundunt. Conf. Wittenb. Wochenbl. Vol. VIII. p. 236. Panicula pigmentum praebet luteolum, haud visitatum.

*Chrysanthemum segetum*. Ackergoldblume, Hungerkraut, Hungerblume, Wucherblume. Floret Jul. Aug. Radix fibrosa, annua; caulis erectus, ramosus, pedalis, altior; caulem ramosque terminat flos solitarius speciosus. Flosculos lingulatos quindecim, tubulosos centum et quinquaginta numeravit **POLLICHIUS** Hist. Plant. in Palat. Elect. cresc. Vol. II. p. 479. Planta exotica, nunc indigena facta; refert enim ill. **BECKMANVS** eius semina cum exoticis cerealibus anno circiter 1737 in Hannoveranam regionem et dein ex Marchia Brandenburgica in Daniam transportata plantamque ibidem nomine *Brandenburger* insignitam fuisse. vid. Grundsätze der Deutschen Landwirthsch. ed. IV. p. 150. atque eadem in hac regione insigniter sese multiplicasse, exinde elucescit, quia Dani lege obstringuntur, plantas omnes ex agris eradicare, notante **LINNAEO**, qui etiam retulit, eadem cum frumento, e lutlandia petito, in Hallandiam accessisse. vid. Fl. Suec. ed. II. p. 296. Migrarunt dein haec semina in alias aliasque regiones et in omnibus fere sic dictis Floris, huius, tanquam indigenae plantae, mentioni fieri solet, unica forte excepta, Silesiaca scilicet a **MATTVSCHKA** edita. An eadem ibidem nunquam visa fuit, an penitus extirpata, an potius, quia vere exotica est, ex reliquorum ciuium numero exclusa? Ultimum probabilius videtur. Exstirpatio enim est difficillima, immo forte impossibilis. Radix licet annua sit, in frustula tamen dilacerata viuit, et quot horum adfunt,

sunt, tot nouae exsurgunt plantae. Longe copiosius autem per semina, in agris relicta, multiplicatur eadem, agrosque illuminat et transeuntes exhilarat floribus luteis, egregie solitae, ut scribit LINNAEUS l. c., ast agricolis odium parit et lacrymas extrudit. Ingens enim seminum copia ab ynico decidit flore, eademque, in superficie terrae relicta, statim iterum progerminant, vel si altius defossa fuerunt, teste MÜNCHHAUSEN Hausvater Vol. III. p. 178. per viginti annos latere possunt, manentque integra, et data occasione ad superficiem delata reuiuscunt in quolibet agro, sit arenosus, sit pinguis, cuiuscunque sit indolis. Non solum vero magnam nutrimenti partem copiosae, inter frumentum crescentes, plantae in sui usum convertunt, sed semina etiam cum cerealibus in horreum transportantur, siveque partim horum seminum, partim straminis pretium imminuitur, dum nec planta, sit recens, sit exsiccata, nec semina ab ullo deuorentur animali, vid. Schles. Landwirthsch. p. 119. et stramen, cui Chrysanthemum admixtum est, simum praebat minus idoneum. Ideoque non mirum, quod in extirpatione huius plantae omnem industriam adhucuerint agricultores, dolendum vero maxime, laborem fere omnem frustraneum, omnesque a variis inuentos atque laudatos modos insufficientes suisse. De his omnibus fuisus egit MÜNCHHAUSEN libr. cit. Omnibus praeferre voluit et serio commendauit, repetitam terrae arationem, intermissa cerealium satione, quo illa semina ad superficiem terrae perducantur entaque plantae, noua instituta fossione, destruantur, et, si nihilominus nouarum semper plantarum prouentus obseruetur, biennium cerealium semina nunc serenda, et si nec per haec plane suffocentur erraticae, etiam Olera, Solanum in primis tuberosum, in auxilium vocanda esse, suscit MEHLIS in Landwirthschaftl. Magazin a MYNDIO 1788 edit. Part. I. qui etiam iconem, viuis coloribus pictam, addidit. Seges biennis multum



sum certe valebit, cum in hac vix vñquam, in annua autem frequentissime Chrysanthemum inueniatur. Cum etiam semina facile cum simo in agrum deferantur, eorum germinationem euitari posse, si non nisi recenti simo ille stercoretur, monuit MONTIN Schwed. Acad. Abh. Vol. XXVIII. p. 250. stercoratiō nem autumnalem, segetem biennem, et occasione in quinto die post seminationem commendauit LINNAEVS Fl. Suec. cit. De his aliisque extirpationis modis conf. Hannov. Gel. Anz. 1753 p. 1193. Hannov. Landwirthsch. Vol. I. p. 110 et 309. Vol. II. p. 375. ZINCKII Leipz. Samml. Vol. VI. p. 220. GMELIN Unkraut p. 169. 171. 216 et 223. MÜNCH Unkraut p. 76. et BERGII Samml. von Landesgesetzen Alph. VI. p. 300. quo loco insertae quoque sunt MÜNCHHAUSII regulae. Ab hocce Chrysanthemo eleganter luteum pigmentum parari potest. vid. CRELLII Neu Chem. Archiv Vol. II. p. 186.

#### §. IV.

Et Chrysanthemi segetum, et aliarum erraticarum plantarum semina frequenter cum cerealibus in horreum transportantur, trituratione inter se miscentur, et si separatio, vel non rite instituitur, vel prorsus negligitur, nunc frumentorum pretium, nūne multisarius eorum v̄lus imminuitur. Quaenam in primis illa sint, quae alterant et deteriorem indolem cerealibus conciliant, sequenti paragrapho docebimus; nunc duo tantummodo nominemus, quae cerealibus frequenter admixta inueniuntur, eorumque aestimationem multum imminuunt. Scilicet sit: *Bromus arvensis*. Ackertrespe, Nackender Haber, Tauber Haber. Fl. Iul. Radix annua, culni obliqui, adultiores erecti, foliosi, 3 et 4 pedalis, panicula fere pedalis, folliculi valua exterior ex apice potius, quam infra cundem aristam emitit ram,

etiam, obseruante POLLITCHIO libr. cit. Vol. I. aliquando aristam deficere notauit WEIGEL Obseruatt. Botan. p. 6. Aruensem aliasque Bromi species cum Secalino, nomine polymorphi, coniunxit SCOPOLI Fl. Carn. Tom. I. p. 79. Huius certe semina, cerealibus admixta, farinae colorem et indolem non alterant, vti de Secalino notabimus; licet de reliquo non semper eundein habitum referat, vti ex descriptione POLLITCHII, HALLERI, GMELINTI aliorumque elucescit. An iunior planta ouibus grata sit esca, dubium. vid. GMELIN Unkraut p. 9.

*Centaurea cyanus.* Kornblume, Roggenblume, Ziegebein, Ziegebock, Zachariasblume, Sichelblume. Insigne aruorum decus, praecipue cum frequenter in societate Papaueris erratici floreat Iun. Iul. semina Aug. Sept. matura. Radix annua fibrosa, caulis erectus, cubitalis, ramosus, folia alterna, pinnatim laciiniata; caulis ramique vniiflori; calicis squamae ciliatae, flosculi tubulosi neutri nouem circiter, disci circiter viginti, semina ouata, pappo breui sessili coronata. Semina frequenter cum frumento in horreum transferri, ab hoc non rite separari et inter se mixta venditari, nemo ignorat, paratam autem ex iisdein farinam noxiā qualitatem accepisse, nunquam visum fuit, quod tamen fieri omnino debuisset, si obseruatio, quam de deleteria huius seminis, vel potius eidem adhaerentis pappi virtute GOETZIUS communicauit, pro vera atque certa assumenda esset. Resert enim Ille: Eruditum quendam in Villa habitantem ex esu Lentium colicis semper vexatum fuisse doloribus, et cum easdem sollicite tandem disquisuerit, pappos hosce copiose illis admixtos inuenisse; et quo de eius indole certior fieret, pappos a Lentibus separasse, eorum integrum manipulum collegisse, paratum ex illis decoctum cani propinasse, eumque paullo post conuulsionibus vexatum, viribusque intra quatuor horas maxime debilitatum atque iugulatum fuisse. Exinde ergo colligit GOETZIUS, Pappum hunc

nī

B

copiose



copiose cum Lente coctum et magis resolutum sanitati infensum esse. vid. *Eius Nützliches Allerley* Tom. IV. p. 429. Verum hoc Cyano segetum imputatum virus in Progr. 1787 edito limitauimus et adhuc dum de eius noxio effectu dubitamus. Integer Papporum manipulus, qui ad experimentum exhibitus fuit, scrupulum iam mouet; quanta enim quaeso requireretur seminum copia, si separati ab illis pappi tantam mensuram implere deberent? Decoctum ex parciori copia paratum nullo modo nocuisse, experientia didicimus. Dubium quoque erit, vtrum colici dolores a pappo, an potius a comedisi Lentibus, vt pote flatulento cibo, an ex alia corporis constitutione producti fuerint. Nouus oritur serupulus, dum Cyani semina Lentibus admixta fuisse, perpendimus. Segetum vel frumenti flos dicitur Cyanus, quia importuno luxu inter segetes, Secale in primis atque Triticum, quod ante hyemem satum fuit, habitat; plantae autem, quae cerealium agrum occupant, inter leguminosa raro, vel nunquam inueniuntur, et si forte cum iisdem progerminent, a scandentibus caulis arripiuntur et strangulantur, vt superius cognouimus. Segetum proprie incolam esse, non solum in nostris, sed exteris quoque regionibus, Italia praesertim, ex alio quoque ipsi imposito nomine colligimus. Italis et in officinis quibusdam nominari solet *Battisecula*, aliis virtiose *Baptisecula* a remora, duris caulis messorum seculis siue falcibus obiecta, inde et deriuandum forsitan illud, in quibusdam Germaniae locis visitatum nomen *Sechel*, quod adducitur a SIM. RAVLI in *Quadrif. Botan.* p. 6. atque hinc vere et eleganter de Cyano scripsit COWLEIVS Libr. IV. p. 197.

Sunt tibi mendosi mores, segetemque trucidat  
Fertilis. Co monstrum! I) perfidus hostes agri:  
Quin etiam messori obstat, factemque retundis  
Elugit au Improbis, agricultis vita, obitique nocens.  
In

In vulgus autem notum est, cerealia solummodo, haudquaquam leguminis falce meti, haecque manu potius legi et radicibus extirpari. Licet vero GOETZIUS a seminibus, inter Lentes deprehensis, veras Cyani plantas obtinuerit, atque hinc de earum existentia dubitare non possumus, in ancipi tamen versamur, vtrum noxiū effectum pappo, an semini ipsi tribuere debeamus. Culpam omnem pappo attributam fuisse, germanicum quod adhibetur nomen, *Bürlgen*, declarare videtur; atque ille dupli modo nocere posset, mechanice et physice. Irritando autem et pungendo primas vias laedere haudquaquam poterit, cum admodum partus ille sit, nec ex rigidis, sed molissimis tenerrimisque pilis compositus, hinc iam in sicco, multo minus in humido, coctione praegressa emollito, statu, sine sensibili effectu, deglutiiri poterit; ex interna autem indole atque propria mixtione instar Veneni agere posse, probabile haud erit, cum omnes eiusmodi pappi odore ac sapore destituantur, prorsusque inertes videantur. Omnis itaque culpa semini, cui pappus satis arcte adhaeret, adscribenda esset, et licet illud aliqualem possideat amaritatem et secundum variorum opinionem alium moueat, de qua et aliis semini ac flori attributis virtutibus conf. praecipue MVRAY Apparat. Medic. Vol. I. p. 93; nunquam tamen audiuimus, semina haec cerealibus admixta singularem effectum produxisse, atque hinc eadem non qualitate, sed quantitate frumenti pretium imminuere, existimamus. Succum ex flosculis disci expressum, addito alumine, egregium coeruleum pigmentum exhibere, recentiori tempore innotuit.

## §. V.

Commemorandaen denique sunt illae plantae, quarum semina, cerealibus admixta, horum, et ex illis paratae in primis farinæ atque panis proprium colorem non solum modo alterant, sed

B 2

etiam



etiam bonam atque salutarem qualitatem saepe in noxiā convertunt. Vt rāque mutatio quandoque, non vero semper coniuncta deprehenditur. Farina utique panis alienum, coeruleum aut nigricantem colorem adsumere potest, virtute propria immutata persistente; e contrario pānis etiam noxiū effectum excitare valet, līcet alienum colorem non ostendat. Ex optimis enim cerealibus coctas puliculas conjectumque panem, si vel in praeparatione, vel vsu negligentiores suimus, sanitati nocere, inter omnes constat. In Panis namque praeparatione, ad quem speciatim nunc respiciamus, plura concurrunt sollicite obseruanda, quo ille corpori nullo modo noxius, sed utilis euadat. Notemus primo loco, ex seminibus, optimis vīlis, panem minus salubrem obtineri, si eadem non satis exsiccata, sed recentia adhibentur. Quare permota fuit Regio-Electoralis Zellensis societas, vt praeium promiserit illi, qui morborum, a pane, ex recentibus cerealibus parato, profectorum historiam rite exponeret; quod certe eo magis exoptandum foret, si cum HENSLEO grauissimum illum morbum, rigidum seu cerealem dictum, ab eiusmodi panis esu deriuare debeamus. Vid. Eius Rettungsmittel derer, die auf plötzliche Unglücksfälle leblos geworden p. 59. Salubritas panis porro a praeparationis modo dependet. Pistorum enim avaritia atque negligentia saepe fit, vt panis iustum coctionem non adipiscatur. Quinque certe sunt momenta, quae ad panis bonitatem suum contribuunt et a pistoribus necessario obseruari debent. Farina scilicet, aqua, fermentum, sal et ignis. De singulis speciatim hic differere velle, superuacaneum foret, ea modo, quae in aestimatione panis, ex farina mixta parati, praecipue attendi merentur, breuiiter repetamus. Horum primarium certe est fermentum, quod massae farinaceae, aquae iusta copia subactae, additur, et particularum farinacearum resolutionem egregie promouet, paniſciisque salubritatem atque gratiam adſert. CORN. CELSVS  
Libr,

17813

Libr. II. cap. 24. 25 et 28, quod equidem mirandum, panem, fine fermento, stomacho idoneum, fermentatum vero alienum esse, et facilius intus corrupti, asseruit, verum et veteres et recentiores medici panem, qui plurimum fermenti accepit, facilius concoqui posse, rectius praedicarunt; est autem et in hoc iustus seruandus modus; qui nimis fermentauit, cito in corruptionem abit. Panis rite fermentati criterium est sapor acidulus. Massa bene fermentata atque bene subacta furno impunitur, ut siccata et solidata, ignis calore, obtineat consistentiam. De ignis gradu, rite obseruando, optime disseruit RRVYERINVS et scriptit: Qui iusto minus coquuntur panes, ponderosiores sunt ob humoris copiam intus manentem, et tales ventriculo graues sunt, flatus et lentam pituitam pariunt, sic fit, ut dum pondus quaerunt pistores, vires hominum perdant, e contrario immodico ignis calore non alienus tantum humor ac superuacuus absuntur, verum etiam latus ille et dulcis succus, qui veluti anima farinae est, exhalat atque deuritur; quam ob rem id praeципiendum habeo, urbium praefectos in primis debere cauere, ne in hac rei cibariae parte adeo grauiter ac frequenter peccetur. vid. Eius Dipnosophia a CASMANNO edita 1706. p. 319 sq. Denique panis, licet rite coctus fuerit, in perniciem cedit, si nimis calidus comeditur. Calidum enim infenissimum esse debere, exinde probare voluit MANETTI, quia operarii cornua dentesque animalium, coeteroquin durissima, eodem emollire soleant; vid. Delle Specie diverse di frumento e di pane p. 130; Dentes etiam inter manducandum sensim emolliri ac tandem delabi monuit LINNAEVUS in Dissert. Diaeteticus, vid. Amoen. Acad. Vol. V. p. 64. Plures alios ab usu calidi panis oriundos effectus recensuit GRAVMANNVS in Diaetischen Wochenblatte 1 Lahrg. p. 105. Qui igitur non ita recens, neque ita pridem asseruatus, sed leuis, bene pertritus, coctus atque fermentatus est panis, ut bene docet CAR. STEPHANVS de Nutrimentis Paris. 1550. p. 10, is cor-  
 pori



pori plurimum vtilis esse solet. Atque si haec omnia sollicite obseruantur, semina etiam peregrina admixta, praeципue si farina seminum cerealium maiori quantitate illis addatur, et composita eiusmodi pasta farinacea repetitae ac leniori coctioni subiiciatur, nec panis ipse calidus comedatur, non adeo sempore nocebunt, vti vulgo quidem perhibetur; attamen mixtus ille panis nunquam eam praestabit vtilitatem, quam de puro experitamus et certissime obtinemus, atque hinc sapienter afferuit FRANKIVS: Wenn auch die dem Getraide beigemischten Saamen nicht immer schaden, geben sie doch eine schlechte Nahrung, und betrügen den hungerigen Armen um die Helfte der gesuchten Erquickung. vid. Eius System der Medic. Policey, Vol. III. p. 238. Immo quae-dam certe existunt semina, quae deleteriam pani virtutem tribuunt, et prae caeteris sollicite fugienda erunt, vti ex illorum recensione clarius patebit.

### §. VI.

Licet eas tantum modo plantas (vide Part. I. pag. 13.) commemorare voluerimus, quae in nostra regione inter se getes frequenter crescunt, et panem inficiunt, non superfluum tamen erit, nonnullas in exteris regionibus segeti panique infestas simul hic recensere, in primis cum una altera in vicinis locis cerealibus sese innescere soleat. In Europa australi, praesertim in Italia, inter secale, in humidis agris, copiose crescit planta, *Covetta* dicta, de qua prostat libellus singularis titulo: Dissertatione sopra la gramigna che nella Lombardia intesta le Segale, Mediolani 1772. ex cuius recensione, quae in Gött. Gel. Anz. 1773 p. 778 reperitur, cognouimus, varios Auctores varia cum hoc semine, quod a *Cynosiro echinato* desumitur, instituisse experimenta, quae autem multum inter se, et in primis in eo differunt, ut needum constet, an in farina,

farina, an potius inuolucre seminis qualitates nocuiae delitescant, dum coctus ex furfure et farina panis humidus, ponderosus et terti saporis fuerit, mitior alter ex sola farina confectus. Nonne autem omnis panis furfuraceus deterior est illo, qui ex sola farina praeparatur, et qui ideo nunc caninus, nunc acerosus dici solet; quemque forte intellexit PLAVTUS, dum Asinaria ACT. I. Scen. 2. v. 16 scripsit:

*Sordido vitam oblectabas pane, in panis inopia,*

Multa quoque de hoc semine in PVIHN Materia venenaria regni vegetab. p. 26 sqq. legimus, fortassis ex eodem libro desumpta; addamus modò: Semina cum paleis molita et cocta panem exhibuisse, qui cito in corruptionem abiit, quique calide comedus Diarrhoeam, Cephalalgiam et Vertiginem excitat, repetita vero coctione maximam partem narcoticae virtutis, quae gramine huic Mense in primis Iulio et Augusto inest, perdidisse. Conf. et IASKIEWICZ Pharmaca regni vegetab. p. 18.

*Trifolium Melilotus*, indigena planta, nunquam vero inter nostras segetes inuenta, in variis Angliae regionibus cerealium quoque incolam esse, eiusque semina, pani admixta, ingratum huic saporem, non vero deleteriam virtutem conciliare, immo peregrinum hunc saporem ex consuetudine vix percipere homines, retulit VOLKMANVS in der Reise durch England Vol. I. pag. 263. Sic quoque *Nigellae* semen, quod rarissime apud nos cum cerealibus colligitur, in aliis locis saepe ad panificia adhibetur, panisque candori multum detrahit et ingratum eidem saporem tribuit; qui tamen non admodum sentitur, nisi immoda fuerit mistura. An panis ab eodem nocuam quoque indolem accipiat, non consentunt omnes; verum Nigellae semen largius epotum enecare, iam apud DROSCOIDEM L. III. C. 93 legimus, et HALLERVIS Hist. Stirp. Heluet.

Tom.

❧ ♚ ❧

Tom. II. p. 88 addidit: non male ergo Nigella TRAGO et HER-  
MANNO suspecta est.

## §. VII.

Sunt fortasse aliae adhuc plantae, quarum semina in diuer-  
sis regionibus panem ingrediuntur, quibus recensendis immo-  
rari nolumus, progrediamur potius ad eas, quae in nostris se-  
getibus frequenter habitant et accuratius a nobis cognosci de-  
bent; inter has primum certe locum meretur Lolium, de quo  
autem vltimo loco dicturi erimus, cum huius semina, pani ad-  
mixta, omnium maxime noceant; praemittamus ideoque alias  
plantas, quarum semina vel minus nocua sunt, vel plane  
innocua.

*Thlaspi, Bursa pastoris*, quae supra iam commemorata  
fuit, et hic quoque nominari debet; eius namque semina, co-  
piosius cerealium farinae admixta, colore non tantum coer-  
leo panem inficiunt, sed eundem quoque ponderosiores et  
difficilis digerendum efficiunt, caeterum autem prauam ei-  
dem indolem non conciliant. Conf. BRYANTS Verzeichniß  
der zur Nahrung dienenden Pflanzen, Tom. II. p. 417. Pro-  
pter dulcem saporem, quem panis ab admixtis his seminibus  
obtinet, a rusticis lubentissime in usum vocari, monuit GRAV-  
MANN Wochenbl. I. p. 60.

*Trifolium arvense*, superius quoque adductum, semina  
profert, quae farinae immixta, rubicundum pani colorem con-  
ciliant. vid. Kenntniß der Pflanzen für Maler p. 558. huius  
vero humilioris plantae semina non facile in horreum trans-  
ferri et cum cerealibus commisceri poterunt. An cum co-  
lore virtus quoque panis alteretur, altum est apud Auctores  
silentium.

Agro-

*Agrostemma Githago, Lychnis segetum vulgo dicta, Rate,*  
 Kornrate, Raden, Nikel, Kornrösslein, wilde Marienrösslein,  
 Nägleinrosen, Kornnelke, schwarzer Ackerkümmel. Non so-  
 lum in triticea et hördeacea, sed in omni fere alia segete proue-  
 nit; floret Iun. Iul. Radix fibrosa annua, caulis erectus, cubi-  
 talis, altior, pilosus, geniculatus, superne ramosus; folia oppo-  
 sita, sessilia, subulata, integerrima; ramuli vniiflori, calix du-  
 rus, cuius quinque segmenta corollam speciosam purpuream,  
 quandoque albam, pentapetalam longe superant; capsula uni-  
 locularis, polysperma. Planta a veteribus dici solet *Nigellastrum*  
 et *Pseudo-Melanthium*, certe ideo, quia eius semina eleganter  
 exasperata atque nigra pro *Nigellae* seminibus saepius vendun-  
 tur; verum *Nigellae* semina omni suspitione non carent, haec  
 autem vesca sunt et innoxia, teste *LOBELIO* Aduer. p. 12 et  
 quotidiana experientia; eadem enim cum frumento excussa et  
 contrita farinam et panem reddunt coeruleum, sapore ana-  
 riusculo subaci praeditum, caeteroquin innocuum. Licet  
 propter amarum et acrem saporem eadem plane innoxia esse,  
 concedere minime voluerit *GRAVMANN* Diaet. Woch. I. Iahrg.  
 p. 60. Incolas autem sex pagorum panem praeparasse, cuius  
 quarta pars farinae horum seminum erat, eundemque nulli no-  
 cuisse, refert *GERMERSHAUSEN* Wittenb. Wochenbl. V. Band  
 p. 110. Panem ex iisdem parari in Dania, notauit *GVNNE-*  
*RVS* Fl. Norw. Tom. II. p. 68. Trita haec semina magnam  
 farinae copiam exhibere, ideoque nec ab *Agricolis* eradiciari,  
 nec a *Pistoribus* a cerealibus vix vnuquam separari, nota res est.  
 Semina etiam fermentationem admittunt eademque cum fecali  
 mixta, spiritus praeparationi commode inseruiunt, quique nunc  
 et fortior et copiosior obtinetur, quam si frumentum parum  
 adhibitum fuisset, vid. *Oekon. Nachr. Part. LXI.* p. 76. Herba  
 pabulum constituit animalibus aequa ac hominibus salutare po-  
 tius, quam nocuum. vid. Wittenb. Wochenbl. I. c. An ra-  
 dix



dix ore gustata haemorrhagiam narium sistat, dubitamus, licet  
experiencia propria et repetita hanc eidem virtutem tribuerit  
SIMON PAULI Quadripart. Botan. p. 106.

*Melampyrum arvense*. Wachtelweizen, Kühweizen, Acker-  
kühweizen, Schwarzweizen, Mohrenweizen, braune Fleischblume,  
S. Petersblume, Brand. Inter triticum praeципue crevit.  
Floret Iun. Aug. Radix annua, dura, fibrosa; caulis erectus,  
pedalis, tetragonus, geniculatus; rami oppositi; folia coniu-  
gata, lanceolata; flores spicati, bracteae florales eleganter pur-  
purascentes, denticulatae et setosae, corollae tubus purpura-  
scens, barba flava et purpurascens; fructus biualuis, bilocula-  
ris, in quolibet loculo duo gibbosa nigra semina. De virtute  
seminum non conueniunt Auctores. CLVSIVS in Hist. rar.  
plantar. Libr. IV. p. 45. scribit de Melampyro, quod Parietariae  
sylvestris nomine delineauit: In Occidentali Flandriae parte, ubi  
copiosissime inter segetes, rusticorum plerumque negligentia, nascitur, pa-  
nem vitiare et magis atrum reddere, quinino illis, qui eo vescuntur, ca-  
put grauedine plerumque tentari solet, non secus, ac si *Lolium* vidi-  
taffent; alii et veteres et recentiores femina haec panem quidem  
nigrum reddere, affirmant, nocuam autem exinde qualitatem  
accipere, haudquaquam concedunt; Ita THEOPHRASTVS Hist.  
Plant. Libr. VIII. c. 5. p. 937 scribit: *Melampyrum innocens* est, nec  
caput tentans sicut *Lolium*, et GALENVS de Aliment. Facult. L.I.  
cap. vlt. dicit: *Melampyrum* quam plurimum a *Lolio* relinquitur, et  
PORTA ait: non curant Pistores a Tritico sacernere, cum res inno-  
cua sit, licet Hic fallo asserat, Tritico immixta semina paneum  
candidissimum facere. vid. Eius Villa pug. 861. RAIUS,  
qui Ipse comedit eiusmodi panem, nec ingratum saporem, nec  
nocuum effectum expertus fuit. vid. Hist. Plant. Tom. I. p. 774.  
TABERNAE MONTANVS etiam eiusmodi panem sapidum et in-  
nocuum esse asserit, vid. Kräuterbuch p. 554. Eumque paneum  
lubenter deuorare animalia atque inde robur et pinguedinem  
acqui-

acquirere, legimus in Stutg. Select. phys. Oec. Vol. II. p. 59, a  
**SALMONE** Botanico confortatuum dictum fuisse, notat **FISCHER** im Liefländ. Wirthschaftsb. p. 318. Conf. etiam **LANGIVS** in Hallischen Anz. 1750. no. 51. et ex his in **MYLII** Physical. Belustig. Part. 3. p. 303. Licet autem Panis, Melampyri semine adulteratus, non noceat, colore tamen ingrato atque amaro sapore displicet atque minori nutritive virtute certissime pollet, ideoque semina haec non bene ad ea retulit **JOANNES SCHEVCHZERVVS**, quorum farina alimenti loco adhiberi posset. in Diff. de Alimentis farinaceis L. B. 1760 edit. Latet forsan anguis sub herba atque semina ab omni suspicione haudquam libera esse, inde elucescit, quia Cereuisia triticea, si illa admixta fuerunt, caput grauat et cephalalgiam inducit. vid. **MATTVSCHKA** Fl. Sil. Tom. II. p. 53. Ili quoque, qui spiritum frumenti parare solent, semina haec a cerealibus sollicitate separant, quoniam illa, si fermentationem simul subierunt, defillationis negotium turbant, efficiuntque saepe, ut Alembicus cum strepitu separetur. Conf. Schlesischer Landwirth Tom. I. p. 125. Herba Vaccis gratum est pabulum, teste **BODAEO** apud Theophr. l. c. p. 938 qui scribit: *Melampyrum exit in aruis una cum Tritico et Secali et laeto potissimum pingui ac restibili agro, vitium est Tritici et comes importuna, vaccis pabulo grata et innocua.* Folia Vaccis non displicere, etiam **TOBELIVS** monit. Aduers. pag. 11. et pro saginandis bobus eius culturam suadet **MATTVSCHKA** l. c.; Quod etiam probabile videtur ex eo, quia Melampyrum pratense eximium, boum praeferit, pabulum existit. vid. **GUNNERI** Fl. Tom. I. p. 59. Planta recens, omni etiam diligentia exsiccata, colorem proprium nunquam retinet, sed nigricantem constanter admittit; eiusmodi plantas rei tintoriae certo inferire a varis notatum et confirmatum fuit in Comment. Acad. Reg. Paris. 1724. p. 513. et certe arvensis speciei spicam coeruleam, si inter coquendum alcali fixum additur;



purpureum] offerre colore docuit. CRONSTEDT Abhandl. der Schwed. Acad. Vol. XIX. p. 196. Conf. etiam Pflanzen, die den Malern dienen, p. 460.

*Rhinanthus crista galli.* Klaffer, Klafter, Klapper, Kletsch, Hahnekamm, Rodel, Geelrodel, Acker - oder Wiesenrodel, Dorfrodel, Schnurre, Schurre, Taschenkraut, Läufekraut, Glitscher, Klingender Hans, Plickling. Exosa planta agricolis, in pratis aequo ac agris frequentissima, de qua scribit MÜNCHHAUSEN Hausvater Tom. III. p. 177: *Kein Unkraut ist mir verhasster, als dieses, weil es vor vielen andern ein Feld aussooreet und alle Fettigkeit an sich ziehet;* praeterea etiam agricolis maximopere debet esse infesta, quia semina diu admodum, et notante BRAVNI in den Bemerkungen über die Landwirthschaft p. 77. per decem annos integra persistunt et cum simo in agrum delata progerminant. Floret Mai. Iun. Semina matura Iul. Aug. In pratis Pedicularis vtpurplimum est comes, atque propterea utraque a multis confunditur, dubiusque relinquitur lector, an a Scriptoribus recensitae vires ad hanc, vel illam pertineant. Immo nonnunquam Melampyrum intelligendum erit, licet nomina germanica Rhinanthon, vel Pedicularem significare videantur. Sic Pfaffenläuse et Dotterblume, quarum semina panem coeruleo colore inficiunt et in Oec. Nachr. Part. LXXXIX. pag. 332. commemorantur, atque Klapper in ZINKII Samml. Vol. IX. p. 595 descripta, potius ad Melampyrum, quam Rhinanthon pertinere, existimamus; e contrario planta, quae Klaffer in Breslauischen Samml. 1718 Vers. 5. p. 1385 nominatur, vere est Rhinanthus, adduntur enim latina nomina, Fistularia lutea et Crista galli, atque falso in Oec. Nachr. Part. cit. p. 313. Triticum vaccinum sive Melampyrum ideo subintelligendum esse, affirmatur, quia panem ab admixto semine nigrum admittere colorem, in citata Collectione scriptum fuerit. Farina enim coeruleum quidem ab his duobus seminibus colorem acquirit,

quirit, panis ipse vero nunquam, sed obscuriorem, nigricantem  
 potius ostendit. Crista galli radix annua, fibrosa, caulis erec-  
 tus, palmaris, pedalis, tetragonus, geniculatus, e radice ra-  
 mosus; folia coniugata, lanceolata, ferrata, subtus punctis albi-  
 dis scabra, flores spicati, bracteae basi coloratae, capsula orbic-  
 ularis sive cordata, calice cincta, bilocularis, semina fere orbic-  
 ularia, plana, ex viridi flauicantia, marginata. Flos luteus va-  
 riatus calice; si in pratis crescit glaber ille est, in aruis autem  
 constanter hirsutus, et propterea duas inde constituit species  
**HALLERVS**, quem secutus fui in Fl. Lipsiensi p. 61. et **POLLICIVS** libr. cit. Tom. II. p. 177. In solo laetiori color totius  
 plantae pallidior, folia in primis floralia albidum fere colorem  
 referunt, caulis quoque est altior, folia maiora, floresque ma-  
 iores. Ab huius plantae seminibus farinae panisque colorem  
 insigniter mutari et in obscuro coeruleum, immo nigricantem  
 vere conuerti, nullum est dubium, de sapore ac virtute autem  
 dissensus animaduertitur. **SCHWENKFELDVS**, qui forte pri-  
 mus hanc panis miscelam commemoravit in Stirp. Siles. p. 73  
 scribit: *Semen Siligini permixtum panem obscurat et atrum reddit,*  
*saporeque amarum;* ingratum eiusmodi panis saporem esse, refert  
**MATTVSCHKA** l. c. Tom. II. p. 49. Alii partim saporem dulcem,  
 partim non ingratum eidem tribuunt. vid. Bresl. Samml. Ver. 5.  
 p. 1385. **ZINKII** Leipz. Samml. Vol. I. p. 291. Comedimus  
 eiusmodi panem, ab admixtis copiosis Rhinanthi seminibus ni-  
 gricantem, non ingrate sapidus et innocuus hic nostra et alio-  
 rum experientia fuit, qui magnam eius copiam assumerunt;  
 licet a debili corpore et maiori quantitate assutus minus con-  
 ueniens et difficulter digerendum praebeat alimentum; fermenta-  
 tionem enim sufficientem non admittit, et humidus semper,  
 glutinosus ponderosusque manet, quod etiam notatum fuit in  
 Bresl. Samml. l. c. Qui Spiritum frumenti destillant, semina  
 haecce prorsus non admittere, monuit **BRAVNIVS** libr. cit.



p. 77. Planta recens nec ingrata, nec nocua est pecoribus, in foeno sicco inutilem et hinc vel eradicandam, vel floridam abscondendam esse, praecepit SCHREBERVS Samml. von Schriften Tom. III. p. 26. Oues autem eandem cum stramine libenter deuorare legimus in BRAVNII Bemerk. l. c. pag. 77. et Bressl. Samml. l. c. quo in loco etiam affirmatur, semina integra a nullo animali, nisi Equis, contusa atque aqua emollita a Porcis deglutiri, nunquam tamen sine peculiari atque nocivo euentu; Pecori enim ac iumentis, quae in pratis pascuntur, herbam atque semen seabiem ac pediculos gignere, communis fere est traditio. vid. Bresl. Samml. l. c. et propterea quoque Läusekraut dici, et de Pediculari idem affirmari solet. vid. DODONAEI Pempt. p. 547; bene vero monuit FISCHERVS eiusmodi malis humidam aeris temperiem occasionem praebere, et e contrario retulit, rusticos in Liuonia ab hoc duplici morbo immunes manere, licet frequenter pane rhinantico vi fuerint. vid. libr. cit. p. 319. Comestam a Vaccis plantam lactis prouentum retardare, notauit EHRHART Oekon. Pflanzengesch. Vol. IV. pag. 31. Rhinanthis semina arida, maturis capsulis inclusa, quauiunt, messorique foeniseccii tempus indicant, notante LINNAEO Fl. Suec. pag. 212; tunc autem siccus et nudus est cauus capsulaeque tantummodo supersunt, quibus foeni bonitas admodum imminuitur. Planta recens et viridis, dum exsiccatur, nigro colore inficitur et hoc etiam modo cum Melampyro conuenit. Pigmento luteo inseruire Rhinanthon, experimentis comprobauit CARTHENVSER. vid. Eius Wahrnehmungen zum Nutzen verschiedener Künste p. 85.

*Bromus secalinus.* Trespe, Roggentrespe, Täverich, Twalch, Dort. Inter frumenta, humida temperie, nimis frequens, floret Iun. Iul. Radix annua, fibrosa, culmus tripedalis altior, erectus, laevis; folia lata, firma, superne villosa, margine scabra; panicula semipedalis, patens, demum nutans; pedunculi longi

❧      ♚      ❧

longi ramosi, scabri; spiculae oblongae, teretiusculae, 9—11  
 florate, nutantes; folliculi valua exterior neruosa punctata, albo  
 margine cincta, apice bifida; arista ex neruo medio dorsali in-  
 fra fissuram prodit crassa, saepe subflexuosa, saepe etiam defi-  
 cit illa, semen corollae adnatum. LINNAEVS Fl. Suec. p. 33.  
 et MATTVSCHKA l. c. p. 66 adduxerunt varietatem, in agro-  
 rum marginibus et collibus crescentem, eamque nominarunt  
 Gerstentrespe; quae longe minor est, paniculam arctiore, glu-  
 masque omnes margine albido cinctas ostendit; ultimam au-  
 tem notam Secalino etiam tribuit POLLICH l. c. p. 109. Di-  
 citur Secalinus, quia inter Secale praesertim crescit; an non et-  
 iam inter alia frumentorum genera? certe rarissime; ita et Bro-  
 mus mollis, teste LEERS Fl. Herbor. p. 36 nunquam inter Se-  
 cale, sed semper inter Hordeum habitat; haec autem species in  
 nostris agris hactenus inuenta non fuit, eamque potius in pra-  
 tis, pomariis et circa agros habitare monuit POLLICH loc. cit.  
 SCHREBER von Gräsern pag. 61. aliquie. De huius quoque  
 miscela cum cerealibus altum quidem apud Autores est silen-  
 tium, omnesque Secalinum accusant, praeter HALLERVM, qui  
 de Bromo molli scriptis Hist. Stirp. Helv. Tom. II. p. 236. hic  
 est Trespe Germanorum, et citauit Oekon. Nachricht. Vol. VIII;  
 ast et ibidem p. 309 Secalinus, ut videtur, intelligi debebit. Por-  
 tro etiam, dum de virtute huius seminis agitur, inter se non con-  
 ueniunt Scriptores, et propterea non de vna eademque, sed  
 varia graminini specie locutos suisse, eo certius existimamus,  
 quo magis constat, Bromos, Aegylops, Aira, Lolium aliaque,  
 quae in Veterum scriptis occurrint, nomina non satis certa at-  
 que definita esse. Sic de Aegylope prima, quae certe est noster  
 Bromus secalinus, scriptis SCHWENKFELD Stirp. Siles. p. 12.  
 propriæ est secalis vitium, in cibum venit cum Secali absque nocimento,  
 minus tamen nutrit. PLENCKIVS quoque in Bromatol. p. 150  
 ad ea illum retulit, quae cerealium loco, annonae caritate in-  
 gruente,



gruente, adhiberi commode possunt. In Cerealium numerum  
 huius semina adoptauit SCHEVCHZER Diff. cit. p. 3. Immo  
 eadem in nonnullis regionibus eum in finem seri, ut cerealibus  
 admisceantur, monuit GRAVMANN im Diaet. Wochenblatt  
 I. Jahrg. p. 59. et ad TARGIONEM, tanquam fide dignum te-  
 stem prouocauit; in annonae caritate rusticos magnam horum  
 copiam cum parciori Secale commiscuisse, panemque hunc  
 nullis vñquam nocuisse, tradidit WOLF Unkraut p. 263. Ea-  
 dem haudquaque noxia esse, modo sat magna aliorum adhi-  
 beatur copia, asseruit MANETTI Delle Specie diverse di fru-  
 mento e di pane p. 187, aut si eadem antea torreantur, monen-  
 te GESNERO Phytogr. Sacr. Part. I. pag. 15; minori quantitate  
 admixta semina damnum vix inferre; maiori autem copia mas-  
 sam farinaceam difficulter turgescere, multo fermento indige-  
 re, panem nigricantem reddere et narcoticam vim exserere, af-  
 firmarunt LANGIVS Hall. Anz. l. c. ZÜCKERT Mat. alim. p. 29.  
 aliique et in Commentariis Lipsiensi, occasione PLENKII Bro-  
 matol. Vol. XXVII. p. 101 legimus: *Bromos noxia planta sine*  
*dubio, inertiam neruorum inducens, cui annonea raritate, ex nimio hu-*  
*more ingruente, pars morborum, tunc frequentium, facile tribuenda.*  
 Vertiginem et temulentiam in hominibus variisque animali-  
 bus, praecipue gallinis, causare haec semina, multi affirmarunt  
 Auctores. Conf. LINNAEI Fl. Suec. p. 33. Eiusd. Pflanzen-  
 system Tom. XII. p. 416. BRYANT von denen zur Nahung  
 dienenden Pflanzen Tom. II. p. 381. De hac nociva virtute,  
 qua cum Lolio conuenit, recte fortassis dubitarunt alii, Lolii-  
 que semina loco Bromi adhibita fuisse, existimarunt. Sic  
 FVHN Mat. Venen. p. 28 quaerit: *an Bromus secalinus vertiginem*  
*excitet, an hic cum Lolio confundatur?* Quidquid sit, etiamsi haec  
 semina neruis non sunt infesta, panem tamen ponderosum glu-  
 tinosumque reddere et ventriculum onerare, exinde facile elu-  
 cescit, quia peregrinum colorem, non viridem, ut SCHREBERVS  
 refert,

❧      ♚      ❧

refert, Samml. von Schriften Vol. XVI. p. 303. sed coeruleum et nigricantem ab illis panis admittit; qui color semper indicium malae causae constituit. Viliori etiam pretio aestimari debent Bromi semina, quoniam parciorem continent farinae copiam, et per consequens quoque minorem quantitatem olei atque salis; idque ex praeparatione Spiritus declarare voluit DENFTER dictus IANSON, Bromi scilicet semina 7 ad 8, secalis 20 circiter huius partes exhibuerunt, vid. Discours über die Fruchtbarkeit p. 39. Herba viridi colore tingit, eademque iu-nior ab Quibus lubenter deuoratur.

Vltima, quae nominanda restat, planta reliquas omnes no-xia virtute superat, estque forsan vnica ex amplissima graminum familia, quae vere venenata dici debet. Est illa scilicet:

*Lolium annum* sive *temulentum*. Tollkraut, Tollkorn, Taub-kraut, Lolch, Sommerluch, Schwindelhaber, Schaafsweizen, Sommertrespe, Dort, Täumel, Töberich, Twelge, Schmiege. Hebraicam vocem *Rosch*, quae apud Mosen V. et Hoseam X. 4 legitur, nisi in genere venenum, sed plantam quaudam in agris crescentem designet, pro *Lolio* assumendam esse, III. MICHAELIS libr. cit. p. 319 docuit. Inter Frumenta, praecipue Hor-deum, admodum frequens humida aestate. Floret Iun. Iul. Semina matura Aug. Sept. Radix fibrosa annua, culmus cubita-lis, geniculatus, erectus, folia glabra, deorsum scabriuscula; spica pedalis disticha, locustae rarae remotae in alternis scapi foueis receptae 16 ad 18; calix plerumque monophyllus, glu-ma scilicet lanceolata, totius locustae longitudine, arista recta, saepe nulla, terminata; praeter hanc in spiculis inferioribus ad-est gluma minor interior; calicis glumam alteram in floribus inferioribus abortire, in superioribus magis magisque excresce-re asserit ADANSON Familles des plantes p. 36. Folliculi valua exterior, calice duplo breuior, ouata, obtusa, striata, margine albida infra apicem aristam emittit rectam duplo longiorem,

D

sæpe



saepe et breuiorem, semen folliculo inclusum, valuulae interiori adnatum, ouale, utrinque compressum, veris cerealibus longe minus. Haec non solum nobis est notissima planta, sed Veterum quoque multi eandem bene cognitam habuerunt, eiusque nociuam indolem satis clare exposuerunt, licet, ut antea notatum fuit, nonnulli Bromum et Lolium confuderint et vtriusque semina germanice *Trespe* nominauerint. Vocem Zizaniae solum Lolium haudquaquam significare et Airae vocabulum ambiguum esse, Part. I. p. 3 monuimus; et quod ultimum proprius concernit, ideo fortassis nil certi determinari poterit, quia PLINIVS scriptis Libr. XVIII. c. 44: *Est herba, quae Cicer eneat et Eruum, circumligando se, vocatur Orobanche, Triticum simili modo Aera, et addidit: Aerae granum minimum est in cortice aculeato, aiuntque in Asia et Graecia Balneatores, cum velint turbam pellere, carbonibus id semen iniicere; quae ultima verba certe ad nullam aliam plantam, quam Lolium, referri possunt, utpote huius virtutem aperte declarant; Lolium vero non complexu Triticum necare, nota res est, sed ideo, quia cum Tritico nascitur, causam esse, cur eneat, ut recte docuit THEOPHRASTVS de Caus. Plant. Libr. V. c. 22.* PLINIVM igitur duas diuersasque plantas eodem insigniisse nomine, alteramque, quae circumligando nocet, Conuoluolum aruensem forte denotasse, cum SAN-  
GIORGIO admittere possemus. vid. Huius Tract. de Couetta et Gott. Gel. Anz. 1782. Liceat et hic quaedam addere de Constitutione CONSTANTINI, quae Frumentum Carthaginense siue Aeneum spectant, et quae interpretum ingenia mirum in modum exercuit; Diuersas opiniones recensuit GOTHOFRE-  
DVS in Comment. ad Cod. Theodos. Libr. XIV. Tit. 25. edit. Ritteri Tom. V. p. 297. et repetiit BESEKE in Comment. de Frumentaria largitione Mitau. 1775. p. 112 sq. Notemus modo Gothofredianam coniecturam, quod forsan frumentum hocce ad pabulum animalium, voluptatibus publicis seruientium, per-  
tineat

tineat et inde Aerinum frumentum legendum esse censeat, vti Aerina farina PLINIO Libr. XXII. c. 58 dicitur, quae ex Aira, id est Lollio, confecta fuit, quaeque cum in pane est, celerrime vertigines facit et s. p. addit vero: *nihil temere mutem.* Conf. etiam Vocabularium Iuris a VICAT edit. 1759 Tom. I. pag. 64. Verum mittamus dubia atque incerta, et progrediamur potius ad ea, quae diuersam noxiā indolem Lolii concernunt. Semen est inodorum, calefactum autem, tostum vel fermentatum nauseosum et vaporosum; farina eius coerulescens, cum cerealibus mixta, addita aqua nunquam eam obtinet densitatem, quam in farina pura animaduertimus, mixta haec farina et ex eadem paratus panis, si cum aqua coquitur, copiosam emittit spumam, fermentationem perfectam non admittit, et si fermentans massa destillatur, primum non coeruleus, vti ex aliis frumenti speciebus, sed rubicundus prodit spiritus. vid. CABELIN Pflanzengifte p. 60. Panis inde paratus nigricans, amaricans, per se autem semen non ingratum, subdulcem excitat saporem; attamen non sine acore, licet de huius vera indole nondum satis constet; acidum enim corrosiu[m] spiritum ex eodem se obtinuisse, refert LENTILIVS in Eteodrom. p. 962, ex herba vero vrinosum spiritum et ex semine plurimas resinolas salinasque particulas accepit RIVIERE. vid. Comment. Acad. Monspel. 1766. p. 309. Cl. etiam OLMI experimenta cum semine instituit et ope spiritus vini magnam resinae acris copiam extraxit et sub digestione vaporem admodum nauseosum, capiti infestum, prodidisse obseruauit. vid. Atti dell' Acad. di Siena Tom. IV. pag. 279. Et ab hoc acri atque volatili, quod huius seminis pulpa inest, principio, nerui praecipue afficiuntur et diuersimode laeduntur, vti iam cognovit THEOPHRASTVS, dum *graue et caput tentans* Lolium appellauit Plant. Hist. L. VIII. c. 5. hinc ab eius interno vsu Vertigo, Temulentia, Ebrietas, Cephalalgia, Coecitas aliaeque mala oriuntur. De nonnullis his aliisque morbis quaedam

D 2

in



in specie notemus. Caecitatem causare multa prostant testimonia. Semen pari admixtum tenebras vescentium oculos obducere, in Geoponicor. Libr. II. c. 43, panique copiosius additum oculis nocere et caliginem adferre apud DODONAEVM Hist. Stirp. Pempt. IV. L. 3. c. 1. legimus; ex Loliae panis visu in Nyctalopiam homines incidisse, obseruatio continetur in Eph. Nat. Cur. Dec. I. An. 3. Obs. 133. A cereuisia, quae **L**olium continet, caput obnubilari et visum obscurari vidit LINNAEVS. Conf. Reise nach Oeland pag. 240 et 263. Fl. Suec. pag. 38. Ab hoc quoque effectu aenigma ortum duxit, ut Lotii visitare dicantur, qui quacunque de causa hebetiori visu laborant. Ita Seruius apud PLAVTVM in Mil. Glor. Act. II. Sc. 3. v. 5. cauillans alterum inquit:

*Mirum est Lotio visitare Te tam vili Tritico*

*Quid iam? qui Lusciosus.*

Et OVIDIUS Fastor. L. I. de isto effectu pronunciauit:

*Et careant Loliis oculos vitiantium agri.*

Conf. de hoc prouerbio BAIERI Adagia medicin. pag. 118. **L**olium vim acutam habere, mentem perturbare et inebriare CRESENTIUS iam monuit de Agricultura Libr. III. p. 122 edit. Basil. 1538. Frugibus, ex quibus cereuisia coquitur, permixtum ebrietatem cito excitare DODONAEVS l. c. aliique affirmarunt, atque hinc quam maxime culpandos esse. Cereuisiae coctores, qui cerealibus potionibus **L**olium (loco Lupuli) addunt, ut homines ebrios magis reddant, monuit BODAEVS apud Theophr. L. VIII. c. 7. p. 942. Cereuisiam enim eiusmodi primum insaniam mouere, dein sopore et temulentia veterna cerebrum opprimere et opacare, ac reliqua membra torpida reddere cognouit. A **L**olio, hordeo pro cereuisia conficienda immixto, potatores scotomas, stultos et temulentos reddi, LINNAEVS auctor est. Amoenit. Vol. VI. p. 185. Lepida historia apud MATTHIOLVM Comment. ad Diosc. L. II. cap. 93. p. 332 legitur.

gitur. FUCHSIVS, celebris suo tempore botanicus, in Comment. de Hist. Stirp. p. 133 pro legitimo Lolio Agrostemma venditauit et delineauit: *qua in re*, scribit MATTHIOLVS, *mihi quandoque iocandi fuit occasio, ut dixerim: Fuchsum ideo in Lolio tam manifeste lapsum fuisse, quod forte eo tempore, quo haec scribebat, contigerit, id Lolium in pane comedisse, Ipse enim antea docuerat, inebriare et caput maxime inficere Lolium.* Hinc et in Italia dicitur Imbriaca, h.e. herba inebrians, notante CAMERARIO Memorab. Cent. III. art. 9. p. 174. Eo magis quoque fugienda erit Ebrietas a Lolio excitata, quia eadem non cum grata animi sensatione atque laetitia, sed potius, vti ex ABVLFALDI ostendit MICHAELIS l.c. p. 329 summa tristitia atque moestitia coniuncta esse soleat. Cephalgia in porro, vertiginem, stuporem atque somnolentiam inducit Lolium. Cephalalgiam inde oriri, iam monuit THEOPHRASTVS L. VIII. c. 5. Pistores cum in publica annonae penuria Lolium Tritico commiscerent, multos, qui eo vescebantur, statim capite dolere incepisse tradidit GALENVS de Aliment. Facult. L. I. c. 37. Auaram mulierem panes ex Secali et Lolio mixtos trituroribus exhibuisse, illis vero in somnolentiam solutis longeque plus temporis labori insumentibus, stulte tenacitatis experimentum fecisse, retulit WIERVS de Praefig. Daemon. L. III. c. 18. Panem eiusmodi Villico suo vna cum ipsius familia talem temulentiam et veluti amentiam, qualem in vita nunquam sensisset, concitasse, testatur CAMERARIUS Memorable. Cent. III. p. 174. WAGNERVS, qui Lolii, quod Trium-  
 mel appellauit, in pulte comedisti noxios effectus plurimos recensuit, lepidam, modo et veram, historiam, quam apud VITO-  
 DVTRANVM, cuius codex Msc. in Bibliotheca Tigurina ciuica  
 asseruatur, legit hisque verbis adduxit: *In villa quadam apud Thuregum Equus quidam tantum de Lolio comedit, quod a Domino si-putatus mortuus, extra villam-vestus fuit et excoriatus, qui tandem post somni consumtionem euigilans domum rediit et Domino aliisque homi-*  
*nibus*



nibus eum cernentibus stuporem incusit. vid. Eph. Nat. Cur. Dec. II.  
 an. 3. p. 366. Spasmos a Lolio excitari, multi asserunt Aucto-  
 res, an vero epidemicus ille rigidus spasticus morbus, qui Krie-  
 belkrankheit dici solet, ab huius etiam esu, an potius a Secali  
 cornuto, deduci possit, in dubio relinquimus. Accusavit Lo-  
 lium Cel. ALEFELD in Giessensch. Wochenzl. 1772 pag. 6.  
 Cel. TAVBE vero, qui in huius morbi causam sollicite inqui-  
 sicut, Lolium ab hoc crimine prorsus liberauit, licet ex modi-  
 co eius esu alios morbos et ex copiose assumpto veram maniam  
 obseruauerit. Conf. Eius Geschichte von der Kriebelkrankheit, et  
 in primis Appendix, in qua de Lolii effectibus differuit. Mit-  
 tamus alios, ab interno Lolii vsu ortos, et a variis Auctoribus  
 commemoratos, vnicum tantummodo adhuc nominare volu-  
 mus, qui, dum in cute se exserit, omnino singularis videtur.  
 Obseruauit iamiam hunc effectum GALENVS et de Aliment.  
 Facult. I. c. scripsit: ineunte aestate in cute multorum, qui *Lolium*  
 comedenter, ulcera aut aliud quoddam symptoma, quod succorum pra-  
 uitatem indicaret, est subnatum; et Cl. ABR. BAVER in citato su-  
 pra sermone de morbis epidemicis inter alia symptomata pu-  
 dendorum quoque tumorem, ab vsu Lolii in multis productum,  
 commemorauit. Non solum vero tantos tamque graues pro-  
 ducit morbos *Lolium* deglutitum, sed eius quoque vapor, in  
 suffitu praecipue, molestias creat. Testis huius virtutis est  
 PLVTARCHVS, dum de Balneis et iis loquitur, quae Balneis  
 aduersa sunt, addidit quoque: Quemadmodum etiam non patiun-  
 tur *Loliginis* semen inicii suffitibus, exhalantia enim isthae dolores ca-  
 piti et caligines oculis obducunt Lanantium. vid. Symposiacon  
 Libr. III. ed. Reiskii Tom. VIII. p. 614. Balneatores orientales  
 turbam sibi molestiam accensi Lolii fumo expellere solere, ex  
 PLINIO supra iam notauius. Variis quoque animalibus no-  
 xiūm est *Lolium*. Canem a pulte loliacea tremuisse, oculos  
 immobiles habuisse et facultatem sentiendi omisisse vidit SEEGE-

RVS

RVS. Conf. Eius Diss. de Lolio sub Praesidio Camerarii 1710  
 habita. Boues et equos a semine grauiter affici, ipsumque stra-  
 men vitulos necare, anferes inde quasi ebrios fieri, et ex porre-  
 cto in longum collo parietes ascendere tentantes intra nycthemer-  
 on obiisse, notauit BVRGHART in Satyris Med. Silef. I. p. 47.  
 Alaudas in Franconia interdum a seminis huius esu noxias euad-  
 ere, suspicatur HOFFMANNVS in Diss. de cauta veneni dati  
 accusatione §. 7. Verum enim vero quemadmodum omne ve-  
 nenum relatiuum est, sic et idem valet de Lolio. Nec omnes  
 homines, neque omnia animalia eodem gradu inde afficiuntur.  
 Infantibus minus, iuuenibus magis, maxime senibus nocuisse,  
 existimat EHRHART Oekon. Pflanzengesch. Tom. VI. p. 294.  
 e contrario infantibus et iuuenibus magis, quam adultis et se-  
 nibus infestum esse, contendit FRIHN Mat. Venen. pag. 28.  
 Vtrumque forsitan secundum constitutionem corporum propriam  
 affirmari poterit. Suibus non nocere a BVRGHARTO loc. cit.  
 hos et gallinas modico vsu semen saginare, a COLVEMELLA  
 L. VII. c. 4. et MATTHIOLO apud Diosc. pag. 332, Colum-  
 bas et Coturnices quoque inde pinguefieri a c. BAVHINO Theatr.  
 Bot. p. 126. Gallinas etiam oua copiose parere ab ORTHIO in  
 Oekon. Nachr. Part. 61. pag. 75. accepimus. Suibus vero no-  
 cuisse affirmauit LEERS Fl. Herbor. p. 47. Diuersa quoque  
 praeparatio et diuersimode institutus vsus damna nunc grauio-  
 ra, nunc mitiora excitarunt. Cum pane coctum semen mi-  
 tius operari, quam si sub pulvis forma exhibetur, panemque, si  
 refrigeratus assumitur, nullam noxam adferre, GVERIN in Diss.  
 de Vegetab. venenatis Alsatiae, Praeside Spielmanno habita  
 p. 60 asseruit; panemque loliaceum nullum prorsus damnum  
 attulisse MÜNCHHAUSEN Hausvater Vol. IV. p. 777 contendit,  
 quae autem asserta limitanda esse, nobis videtur. No-  
 cebit certe semper. Rectissime enim praecepit GALENVS  
 de Aliment. Facult. I. c. Nos non oportere in purgandis seminibus,  
 quae



quae ad eum comparantur, esse negligentes, persuasos, etiam si noxa,  
 quae quotidie fit, ob exiguitatem sensu non percipimus, quod tamen  
 longo tempore ex ipsa aceruatur, tandem erupturum. Ita et HAL-  
 LERVIS panem loliaceum manifeste venenatum esse, affirmauit  
 in der Gerichtlichen Arzneywissensch. Vol. II. p. 162. et Russi-  
 cos milites in Georgia ab vsu eiusmodi panis spasmis, vomiti  
 aliisque symptomatibus vexatos fuisse, testatur GÜLDEN-  
 SPAEDT. vid. Schriften der Berliner Naturf. Gesellschaft  
 III. Th. p. 475. Interim negandum non est, a calido longe  
 maius damnum metuendum esse, quam a frigido, praecipue si  
 ad copiam quoque attendimus; nullam enim fere notabilem  
 noxiam intulisse frigidum panem, nisi copiose ingestus fuerit,  
 asseruit BVRGHART l. c. In cereuisia et spiritu vini omnium  
 celerrime et efficacissime virtutem noxiarn exserere, fere  
 omnes consentiunt; et de Cereuisia ex polenta loliacea cocta,  
 quae pergrati saporis et coloris fuit, singularem obseruatio-  
 nem tradidit BVRGHARTVS l. c. eandem scilicet cito inebriare,  
 symptomata autem inde orta citius quoque euanscere, fa-  
 ciemque potatorum pallidam, non, vt ex vsu panis, rubi-  
 cundam fuisse. Cum itaque Lolium nullam medicatam vir-  
 tutem possideat, quae enim in Veterum scriptis de externo  
 eius vsu notata legimus, maxime sunt dubia; nec in carcino-  
 mate ob dolorum lenimen vere cum SCHAAERSCHMIDIO Ver-  
 zeichniß der Arzneymittel laudari poterit; sed potius quocun-  
 que modo ingestum aduersas valetudines inducat, omni certe  
 studio allaborandum, vt partim eius prouentus atque miscela  
 cum frumento praecaueatur, partim effectus corrigantur. Eius in  
 segete praefentia nunquam humana opera euitari posset, si  
 verum esset, Triticum in Lolium commutari; contrarium au-  
 tem multi et inter recentissimos supra citatus OLMI in primis  
 clare demonstrarunt; rationes repetere superfluum foret, cum  
 nemo hoc tempore erit, qui eiusmodi metamorphosin possi-  
 bilem

bilem modo esse, existimet. Inde certe originem duxit fabula, quia Lolii semina cum Tritico adeo fertiliter in agris, humidis praesertim, germirent et crescant, ut Triticum suffocetur. Curiosa, dummodo sit vera, quam de Lolii et Tritici coniunctione obseruationem narravit **TUDECIVS** Eph. Nat. Cur. Dec. I. an. 9. 10. p. 301. Virum in oeconomicis sedulim plurima Ipsi ostendisse semina Tritici, singula a singulis Lolii granis intus haerentibus illaque dependentibus, perforata, Tritici granis ita exinanitis, ut cortex tantummodo in quibusdam superesset, lolii autem grana nucleo plena et saturata permanerunt; cuius rei rationem addidit non pro�is improbabilem **TUDECIVS** scilicet: Videtur non bene purgatum fuisse a Lolio Triticum, hinc modis diuturna inter se commixta, vnum ab altero, tanquam Zooplyto, consumptum fuisse. Auerti ab agris et impediti lolii praeuentus difficultime quidem poterit, temperie in primis humida, attamen omni modo laborandum et expectandum, quid valeat diligens aratio, bona stercoreatio et frumenti serendi depuratio. Ultimum solliciter obseruandum, atque propterea lege publica prohibicium fuit, Auenam, quae etiam erat frumenti vitium, itemque et Lolum in alienam segetem iniicere, quo eadem inquinetur et maledicta fiat separatio, de qua conf. **VLPIANVS** Tit. II. L. XXVII. §. 14. Alterum, effectus scilicet noxiros, ab esu Lolii oriundos, praecauere velle, aequo difficulter obtineri poterit. Semina libero aeri exponendo, farinæ alterius cerealis in maiori proportione adiiciendo, cum aqua coquendo, spumamque frequenter abficiendo, si non ex integro, pro maiori saltem parte eorum farinam innocuam euadere, sicut **IASKIEWIZ** l. c. p. 32. Alii conditorum Cumini, talis communis et s. p. miscelam laudarunt, alii pinguis butyrum, lac et s. p. commendarunt. Remedium praestantissimum, omnibus aliis praferendum, acida scilicet, praesertim Acetum esse, tanquam omnium fere vegetabilium



tabilium venenorum antidotum, iam agnouit **BARICELLYS** in Hortulo geniali p. 74. et serio commendauit **RIVIERE** l. c. aliquie. **Cl. PLENKVS**, qui in Bromatol. p. 150 *Lolium* ad ea retulit, quae commode annonae caritate adhiberi possent, in Toxicol. pag. 104 scripsit: *Lolium ex classe graminum unicum est venenatum et tanquam antidotum commendauit Vomitorium ex Tartaro emetico, acetum, oleum calide eptum et Brassicam acidulatam.* In debilitate visus a *Lolio* orta Hepatis bubuli esum laudauit **HIPPOCRATES** Libr. de Visu eamque curationem confirmauit **SCHENKIVS** Eph. Nat. Cur. Dec. I. an. 3. Obs. 133. Verum huius remedii visus diu euauit. Tandem et hic monendum, *Lolium* perenne innocuam esse plantam pabuloque animalium egregie inseruire, et hinc illud ab anno sollicite distinguere debemus.

Praeter hinc inde citatos Auctores, Seegerum, Burghartum, Guerinum aliasque, conferriri adhuc merentur **HANNIBAL MARIOTTI** di cattivi effetti del pane Logiaceo. Perugia 1768. qui docuit, *Lolium* equis nocere, non gallinis, non omnibus hominibus, neque semper. **F. FELICE de CASERCOLO** Lettere Firenze 1768. in qua de malis a *Lolio* ortis disseruit, quod avarus homo selegerat, ut Pauperibus venderet. **LINDESTOLPE** de Venenis p. 538. **GMELIN** vom Unkraute p. 15. et vom Pflanzengifte pag. 250. Gelehrte Beyträge zu den Braunschw. Anz. 1784 part. 90 sq. **LINNE** Pflanzenystem Tom. XII. pag. 517. Neuer Schauplatz der Natur Vol. V. pag. 217.

THE-

---

## T H E S S.

**I**nter pudenda et pectus arcani quidam obseruantur consensus.

Vbi diathesis inflammatoria, ibi venaesectio conducit,  
sed nocet purgatio.

Potus nimius Coffeae capitis dolores producit, attamen  
idem potus est secretum infallibile ad tollendum capitis do-  
lorem.

Arcanus consensus inter morbos ventris et morbos cutis.

Dysenteria in puerperis non est mala.

Si ructus acidi, abstine a vino et sanaberis.



In morbis nunquam ab aegro discedas, donec linguam  
inspexeris.

Salis ammoniaci cum cortice peruviano connubium est  
infallibile febrisfugum.

Morbi epidemici et contagiosi mediante saliuia, ab infecto  
aere conspurcata, communicantur.

Aequo noxius est nimius cibus, ac extrema diaeta.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt







Wittenberg, Diss., 1791



sb.



**Farbkarte #13**



DE  
P L A N T I S  
S E G E T I I N F E S T I S  
PART. II. SPECIALIS SECT. III.

Q V A M

P R A E S I D E

D. GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SENIORE  
PHYS. PROVINC. SOC. OEC. LIPS. SODAL.

P R O G R A D V D O C T O R I S

DIE XVI. MENS. DECEMBRIS MDCCCLXXXI

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

CHRISTIANVS GOTTLIEB EHREGOTT BAMBERGV

Z I Z E N S I S

M E D I C I N A E C A N D I D A T V S.

V I T E M B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I L.